DE HERODOTI FIDE QUAESTIONES.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI

CUM

VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

UNA CUM THESIBUS A SE PROPOSITIS

DIE XXII. M. JULII MDCCCLXXIV

HORA XII

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

HERMANNUS LÄMMERHIRT

SAXO-BORUSSUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

OSCAR HARTUNG, CAND. PHIL.

KARL KRAATZ, CAND. PHIL.

HALAE SAXONUM.

Herodotum historiae patrem omnibus temporibus vehementissime celebratum et saepe veluti a Pausania, Procopio aliis imitando expressum esse quis est qui nesciat? Neque tamen defuerunt, qui libros Herodoti vituperarent eique multa vitio verterent. Quod factum esse videmus iam antiquis temporibus, quibus *μυθολόγος* ab Aristotele [1]), Cicerone [2]), Gellio [3]), aliis [4]) appellatus est. Quid? quod in scriptis Plutarchi invenitur libellus accusatorius, *περὶ τῆς Ἡροδότου κακοηθείας* qui inscribitur. Sed eos omnes vel invidia vel ignorantia adductos falsa iudicia fecisse ex libris Herodoti elucet; ac ne recentiores quidem interpretes, qui Herodotum neglegentiae in rebus narrandis culpant, ad veritatem accedere puto. Ii enim editores qui in Herodoti libris et explicandis et emendandis permultum operae ac studii collocaverunt, cum hoc scriptore, ut res ab eo traditas illustrarent et probarent, compararunt Thucydidem *τὸν συγγραφέα.* Nimirum in utroque opere esse invenerunt, quae iure tamquam cruces interpretum habita ab aliis interpretibus alia ratione explanata et ne hoc quidem tempore ad veritatem sint exacta. In quibus maxime illud, quod Thucydides aliquando aperte repugnat Herodoto, iis in oculos cecidit. Et semper quidem Thucydide et Herodoto inter se dissidentibus editores Thucydidis narrationem anteposuerunt, Herodotum autem incertum esse auctorem putarunt. Quod mihi ipsi ad hos scriptores accedenti accidit. Sed mihi cum Herodoti libros accuratius legenti, tum illas utriusque scriptoris controversias subtilius tractanti satis apparuit, Herodotum de industria nihil falsi tradidisse sed potius certum esse historiae auctorem. Quod ut demonstrem hanc vel illam utriusque viri discrepantiam tractare, deinde autem quae sit Herodoti ratio dicendi vel narrandi longius si placet explicare mihi propositum est.

---

[1]) de gener. an. III, 5 et hist. an. III, 22. — [2]) de legg. I, 1. — [3]) III, 10 [‚homo fabulator']. — [4]) cfr. Stein, Einleitung zu seiner Herodotausgabe, 3. Aufl., S. XLI, Anm. 1—3.

I.

Atque primum quidem convertamus nos ad discrepantiam utriusque scriptoris, quae tribus praecipue exemplis continetur.

Herodotus honoribus atque muneribus regum Lacedaemoniorum in VI, 57 accurate et recte[1]) expositis in fine huius capitis narrat hos reges duodetriginta senatoribus deliberantibus assidere atque ita pergit: *ἢν δὲ μὴ ἔλθωσι* [reges], *τοὺς μάλιστα σφι τῶν γερόντων προσήκοντας ἔχειν τὰ τῶν βασιλέων γέρεα, δύο ψήφους τιθεμένους, τρίτην δὲ τὴν ἑωυτῶν.* Cui narrationi esse opposita docti quidam viri censuerunt, quae Thucydides de hac re disseruit. Is enim vituperat in I, 20 levitatem et credulitatem Graecorum, qui quidquid fabulis traditum sit bona fide accipiant et ne de suis quidem temporibus certiores facti sint. Quam ad rem demonstrandam scriptor docet eos falso putare duos reges Lacedaemoniorum, non utrumque singulo, sed binis suffragiis uti. Haec autem Thucydidis verba maxime ad Herodotum spectare verisimile est. Quare iam multi viri eruditissimi de hac controversia quaesiverunt et in diversa et inter se pugnantia abierunt. Quorum e numero C. O. Müllerus[2]) bina suffragia probavit, Salomonius[3]) autem et Classenius[4]) Thucydidis sententiam secuti sunt. Horum in argumentationes, quae mihi quidem non rectae videntur, nolo inquirere; sed potius quid ego de hac quaestione sentiam, in medium proferam. Et recte quidem iam Wesselingius, Baehrius[5]), Steinius[6]) mihi confirmasse videntur, utrumque scriptorem in concordiam esse vocandum. Nam legenti accuratius hunc Herodoti locum

---

[1]) cfr. Schömann, Griech. Alterth. I, S. 237—242. [3. Aufl.] — [2]) In libro suo: Die Dorier. — [3]) Programm des Friedrich-Werder'schen Gymnasium, Berlin 1851. ‚De Herodoto et Thucydide quaestiones historicae.' — [4]) In editione sua. — [5]) In editionibus Herodoti. — [6]) In eo errat Steinius, quod dicit amborum regum suffragia unum ex propinquis tulisse. Nam et nexu sententiarum [*προσηκόντας* etc.] et narratione Herodoti tradentis VI, 52 Lacedaemoniorum reges, quamquam geminis fratribus, Procle et Eurysthene, gentis suae auctoribus uterentur, neque inter se consensisse neque affinitate esse coniunctos, vetamur putare unum senatorem cum utroque genere affinitate coniunctum pro regibus suffragia tulisse.

mirum videbitur Herodotum si utrumque regem bina suffragia tulisse vere credidisset, *δύο ψήφους τιθεμένους, τρίτην δὲ τὴν ἑωυτῶν* scripturum fuisse. Certe scriptori, ut hanc sententiam de binis calculis indicaret, scribendum erat aut *δύο ψήφους ἑκάτερον τιθεμένους* aut *δύο* ......, *τρίτας δὲ τὰς ἑωυτῶν*. Concedendum quidem est, Herodoti verba esse ambigua. Sed et ex numero plurali [*ἔλθωσι* —] *προσήκοντας* — *τιθεμένους*[1]) et ex sententiarum nexu apparet, horum familiarium duos fuisse oportere. Hi duo ponunt duos calculos pro absentibus regibus, uterque igitur unum; cui rei aptissimum est illud sequens *τρίτην*, cum uterque horum propinquorum et calculum singulum regis alterius et suum suffragium ferat.

Alterum vero credulitatis exemplum, quod Thucydides in eodem capite affert, eadem ratione explicandum esse docti fere plerique nunc inter se consentiunt[2]). Nam hac de re et Herodotus recte narrat et iure quoque Thucydides disserit. Neque enim Herodotus voce *λόχος Πιτανάτη* [in IX, 53 8 [3])] significat certam utique partem exercitus Lacedaemoniorum, quae hoc nomine publice appellata sit — quod quidem Thucydides negat — sed fortem manum iuvenum Pitanatarum, ex pago *Πιτάνη*, quem Herodotus ipse commemorat in III, 55 8 inter quattuor Spartae pagos.

Invenimus igitur, in utroque loco Herodoti verba a Thucydide falso esse intellecta; quod neque huic opprobrio neque mirum est, quia Thucydides hos Herodoti libros, qui certe tunc modo editi erant, neque tam brevi tempore accurate perlegere potuit, neque solus in hunc errorem incidit, sed post eum alii multi. Quare nos contendere possumus, his in quaestionibus historicis Thucydidem revera non esse diversum ab Herodoto, sed potius utrumque scriptorem inter se consensisse.

Sed una superest controversia, quae hoc modo tolli non potest. Herodotus enim in VI, 98 tum cum primum Datis, persicae classis dux, Delo devectus cum navibus contra Eretriam

---

[1]) Herodotus semper fere et in declinatione et in coniugatione utitur plurali numero pro duali. — [2]) cfr. Salomon p. 30—33. — [3]) Cito secundum editionem Herodoti novissimam a Steinio recognitam.

navigasset, Delum insulam terrae motu esse concussam narrat, quod neque unquam antea neque postea usque ad illud tempus Deliis auctoribus factum esse dicit[1]). Comparantibus nobis, quae de eodem terrae motu Thucydides tradit, haec esse maxime inter se opposita apparet. Is enim cum multa oracula ad bellum Peloponnesiacum spectantia in oribus hominum fuisse referat, malum omen illud esse habitum tradit, quod Delus insula paulo ante bellum Peloponnesiacum tremuisset, quae nunquam antea post Graecorum memoriam mota fuisset[2]). Quare iam scholiasta ad hunc locum Thucydidis iure miratus tantam controversiam „*Πρότερον*“, inquit, „*οὔπω σεισθεῖσα, καὶ μὴν Ἡρόδοτος λέγει, ὅτι ἐκινήθη ἐν τοῖς Μηδικοῖς.*“ — Haec duorum insignium scriptorum discrepantia cum utriusque interpretes vexavit tum diversissimas inter se emendandi vel explicandi rationes excitavit. Quas coniecturas breviter inter se componere quaeque maxime probabilis sit mea sententia disserere operae pretium mihi videtur.

Atque ut primum ordiar ab iis qui emendando has utriusque scriptoris narrationes inter se componere conati sunt, Wassius in editione sua Thucydidis, cum voces *ὀλίγῳ πρὸ τούτων* non posse extendi ad medici belli tempora sibi persuasum habeat, Callisthenes[3]) autem alio tempore Delum esse motam contendat, non *οὔπω* apud Thucydidem sed *οὐχ οὕτω σεισθεῖσα* legendum esse iudicat. Etenim *οὐχ οὕτω* pro *οὔπω* non solum facilem esse emendationem dicit, sed confirmari etiam testimoniis quibusdam veterum scriptorum. Auctore enim utitur Vergilio, qui in Aen. III, 75 sequ. de Delo insula haec narrat:

„Quam pius Arcitenens oras et litora circum
Errantem, Gyaro celsa Myconoque revinxit
Immotamque coli dedit et contemnere ventos.“

Affert igitur fabulam illam antiquissimam, Delum insulam fuisse instabilem, donec Apollo tuto refugio gratiam referens terram

---

[1]) Herod. VI, 98: *μετὰ δὲ τοῦτον ἐνθεῦτεν ἐξαναχθέντα Δῆλος ἐκινήθη, ὡς ἔλεγον Δήλιοι, καὶ πρῶτα καὶ ὕστατα μέχρι ἐμεῦ σεισθεῖσα.*

[2]) Thucyd. II, 8: *ἔτι δὲ Δῆλος ἐκινήθη ὀλίγον πρὸ τούτων, πρότερον οὔπω σεισθεῖσα ἀφ᾽ οὗ Ἕλληνες μέμνηνται.*

[3]) Seneca: quaest. nat. VI, 26 tradit Callisthenem affirmare et alio tempore tremuisse insulam.

in mari firmam constituisset. Quo ex tempore Delus non esse mota dicitur. Cum hac fabula comparat Wassius quae scholiasta ad Callimachi hymnum in Delum v. 11 notavit. Illo enim in loco scribit ille: „*Θουκυδίδης σεισμὸν γενόμενον μέγαν βουλόμενος ἐξηγήσασθαι, φησὶν ὅτι τοσοῦτον ἦν μέγας ὥςτε τὴν Δῆλον νῆσον σεισθῆναι.*“ Hanc igitur adnotationem probans suspicatur Wassius, non *οὔπω* sed *οὐχ οὕτω* esse scriptum a Thucydide. Sed hac fabula non posse confirmari fidem historicam, eam potius narrationem quam Thucydides refert, esse probandam, quis est quin intelligat? Huc accedit, quod et haec Wassii emendatio codicum Thucydideorum[1]) auctoritate caret, et temporibus scholiastae iam *οὔπω* esse lectum ex illius adnotatione, quam supra dixi, plane perspicitur. Quibus de causis Wassii emendationem minime esse probandam persuasum habeo.

Non maiorem probabilitatem, ut multi viri docti iudicant, Wesselingii[2]) sententia habet, qui ut illam utriusque scriptoris discrepantiam tolleret ad Herodoti locum: „Equidem“ inquit „utrumque auctorem in concordiam vocare quam supinitatis convictos relinquere malim, Thucydidisque *ὀλίγῳ πρότερον* laxius sumere atque ad hunc Deli tremorem adplicare, tantoque cupidius, quod et ille nostro exemplo in rerum futurarum prodigiis motum insulae censitum fuisse prodidit.“ Wesselingius igitur, ut difficultatem huius differentiae inter utrumque scriptorem tollat, Thucydidis vocem *ὀλίγῳ* extendi ad bellum persicum iubet. Et sane eiusmodi verbis sive ad tempus sive ad spatium spectantibus cum ceteros Graecorum scriptores tum Thucydidem ipsum ita esse usos invenimus, ut principali verbi significatione omissa haec vocabula latiore sensu dicerentur. Persaepe enim apud Thucydidem hoc similique modo esse accipiendum illud *ὀλίγον* nobis locos huc spectantes accuratius comparantibus apparet. Plerumque *ὀλίγον*, ut exempla quaedam afferam, par est voci latinae: exiguum, veluti I, 18_3. 73. 93. 102. 106; II, 8. 31_2. 85_6. 92; IV, 8_8. 34. 54_2; V, 66_4 aliisque permultis locis; saepius quoque verbo:

---

[1]) De codicibus Thucydideis, quorum maximus numerus exstat cfr. Poppo, edit. Thucyd. pars II, vol. I. cap. 2. pag. 13—61. — [2]) In editione Herodoti ad VI, 98.

paulum veluti I, 14_2. 123; II, 8_3; III, 4_2. 104_2; IV, 31. 84. 111. etc. Item inveniuntur aliae huius verbi formae veluti *ὀλίγῳ* = paulo III, 50; *ὀλίγον* = propemodum IV, 124; VIII, 35_3; *δι' ὀλίγου* = modico spatio II, 89_9; III, 21_4. 43_4; V, 66; VII, 36_5. 71_3; *δι' ὀλίγου* = modico temporis intervallo I, 77_6; II, 85_2; IV, 95 etc.; *ἐν ὀλίγῳ* = in exiguo spatio II, 84_3. 86_5 etc.; *ἐς ὀλίγον* = in exiguum spatium II, 84; VII, 36_5; *ἐξ ὀλίγου* = celeriter, subito II, 11_4. 61_2; *κατ' ὀλίγον* = paulatim, sensim I, 61_5. 69_3; V, 82_2; *κατ' ὀλίγον* = partim IV, 10_1; V, 9_2; *παρ' ὀλίγον* = propemodum VII, 71_3; *ὀλίγοι* = pauci I, 14. 33_2. 50_5 etc.; *ὀλίγον* denique = optimates III, 39_6. 47_2. 74_2. 82; IV, 86_4; V, 82. 84_3. 85; VI, 38_1; VIII, 9_3. 14_2. 66_5. 97_2. Ac ne illud quidem negari potest, verbum *ὀλίγον* vel *ὀλίγῳ* vel huic simile *νεωστί* maius temporis spatium complecti; quod confirmatur cum aliis locis tum usu huius vocis apud Thucyd. I, 18. Hoc enim loco esse *ἔτη μάλιστα τετρακόσια καὶ ὀλίγῳ πλείω ἐς τὴν τελευτὴν τοῦδε τοῦ πολέμου, ἀφ' οὗ Λακεδαιμόνιοι τῇ αὐτῇ πολιτείᾳ χρῶνται* nobis tradit. Inde apparet omissis illis controversiis de definienda Lycurgi[1]) aetate illo *ὀλίγῳ πλείω* non minus quam quadraginta annos describi. Quare ex his et aliis locis apparet, a Wesselingio hoc *ὀλίγον* vel *ὀλίγῳ* recte per se laxius sumi posse. Sed inspicientes qui sit, ut iam Poppo recte indicavit, Thucyd. II, 8 nexus sententiarum, tremorem a Thucydide traditum ad belli persici tempora revocare vetamur. Etenim facile intelligitur, Thucydidem cum animos Graecorum initio belli Peloponnesiaci suspensos[2]) multisque oraculis, multis vaticiniis et in civitatibus bellum gesturis et in aliis multis factis tam attentos fuisse narret, ut Deli motus, quae *πρότερον οὔπω σεισθεῖσα ἀφ' οὗ Ἕλληνες μέμνηνται* esset, et diceretur et videretur rerum futurarum prodigium, illum motum terrae solum ad bellum Peloponnesiacum retulisse. Neque enim video, cur Thucydides, si vocem *ὀλίγον πρὸ τούτων* usque ad bellum

---

[1]) Eratosthenes Lycurgum a. 884 leges suas constituisse Spartiatis docet. cfr. Schömann: Griechische Alterthümer I. p. 233. — [2]) *ἥ τε ἄλλη Ἑλλὰς πᾶσα μετέωρος ἦν ξυνιουσῶν τῶν πρώτων πόλεων.*

persicum extendi voluit, hunc tremorem in descriptis bellis persicis, quae ei non minora visa sunt, non tradiderit sed media fere in narratione belli Peloponnesiaci. Nonne ille cum dicat: *καὶ πολλὰ μὲν λόγια ἐλέγοντο, πολλὰ δὲ χρησμολόγοι ᾖδον ἔν τε τοῖς μέλλουσι πολεμήσειν καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις πόλεσιν*, quae verba certe ad bellum Peloponnesiacum spectant, et ita pergat: *ἔτι δὲ Δῆλος ἐκινήθη ὀλίγον πρὸ τούτων*, hoc quoque miraculum ad bellum imminens revocat eaque de causa memorat, quod „*πρότερον οὔπω σεισθείσης Δήλου*“ inprimis mirabile portentum sit? Quod si ille motus terrae ab Herodoto indicatus intelligendus esset, qui sexaginta circiter annis ante bellum Peloponnesiacum accidisse putatur, non facile perspiceremus, cur miraculum tam longo tempore ante actum a Thucydide pro rerum Peloponnesiacarum prodigio relatum esset. Huc accedit, quod Herodotus cum addat *ὡς ἔλεγον Δήλιοι*, rumorem huius tremoris non fuisse dilatum in ceteros Graeciae agros, sed a Deliis quibusdam ipsi esse narratum testatur; unde elucet terrae motum paucis fuisse notum, non toti Graeciae, ut dicit Thucydides [*ἥ τε ἄλλη Ἑλλάς*]. — Sed missa hac quaestione, num ille motus terrae ab Herodoto traditus ceteris Graecis fuerit notus, quis est qui nesciat talia portenta, ut vim in animos hominum habeant, paululo ante, intra unum vel proximos annos, facta esse oportere? Qua de re Wesselingii coniectura iusta ratione carere longissimeque abesse a vero videtur.

Alii contra recte assecuti hanc discrepantiam neque verborum emendatione quadam neque coniectura illa supra dicta tolli posse, Herodotum iure de illo motu terrae rettulisse dicunt neque minus recte Delum esse motam Thucydidem. Etenim duos diversos inter se tremores Deli accidisse putant, alterum quidem bello persico, alterum paulo ante bellum Peloponnesiacum. Quam ad rem probandam in medium proferunt illi Plinium, qui IV, 12: „Ad Marci Varronis“ inquit „aetatem Mucianus prodidit [Delum] bis concussam“ et Senecam qui Quaest. Nat. VI, 26 tradit: „Thucydides ait, antea quidem immotam fuisse [Delum], sed circa Peloponnesiacum bellum tremuisse. Callisthenes et alio tempore ait hoc accidisse.“ — Haec vero testimonia neque gravia neque ad persuadendum apta esse inde intelligitur, quod neque Callisthenes neque

Mucianus hunc vel illum Deli motum sermonibus hominum acceperunt sed potius ex scriptis utriusque scriptoris graeci compererunt. Nam alter testis tempore Alexandri Magni, alter Ciceronis aequalis fuit, multis igitur annis post Herodotum et Thucydidem vixerunt. Estne autem verisimile, cum Thucydides nihil de altera Deli concussione narret, illos qui multo post vixerunt, quidquam certi de hac re novisse? — His de causis editores illos qui duos tremores inter se diversos fuisse credunt, auctoritate veterum supra nominatorum non recte uti arbitror. Huc accedit, quod mirifice iis accidit, ut in diversa et inter se pugnantia abirent. Nam quum C. O. Muellerus[1]), Wassius, Baehrius[2]) contendant neque Herodotum eius motus, quem Thucydides commemorat, esse recordatum neque Thucydidem prioris concussionis ab Herodoto traditae, alii velut Schweighaeuserus, Classenius ea de causa mentionem non fecisse alterius tremoris Thucydidem putant, quod vel Deliorum narrationi vel Herodoto fidem non habuisset.

Atque ut primum de Muelleri, Wassii, Baehrii sententia dicam, qui utrumque scriptorem neglegentiae accusant, in eo errare eos scimus, quod Herodotum oblivionis culpant. Nam neque Herodotus neque Thucydides, qua de re postea dicendum erit, opus uno quasi tenore composuit, sed intervallis interpositis perfecit. Delo igitur insula paulo ante bellum Peloponnesiacum tremente Herodotus aut totum opus iam conscriptum in vulgus emiserat, aut certe hanc historiarum partem perfecerat, ubi *καὶ πρῶτα καὶ ὕστατα μέχρι ἐμεῦ σεισθεῖσαν* [*Δῆλον*] affirmat. Herodotus igitur si insula temporibus belli persici revera quassata est, recte dicere potuit *πρῶτα καὶ ὕστατα μεχρὶ ἐμεῦ* scilicet hoc iam scribentis. — Thucydidem autem qui in historia scribenda singularis, in rebus narrandis diligentissimus, de omnibus fere Graeciae locis et rebus certior factus est, Delum esse motam bello persico aut nescivisse aut in componendis suis libris esse oblitum vix credi potest. — Nimirum hanc Wassii, Baehrii, Muelleri sententiam,

---

1) In libro suo: Die Dorier p. 312. n. 1. — 2) In editionibus Herodoti.

oblitum esse Thucydidem prioris Deli motus, nemini ex numero editorum nostrorum placuisse videmus.

Schweighaeuseri contra, Classenii aliorum iudicium, Thucydidem narrationi vel Deliorum vel Herodoti de priore motu fidem non habuisse multis interpretibus probabile videtur. Atque omissis illis quaestionibus [1]), num Herodoti libri Thucydidi haec de Deli motu proferenti ad manum fuerint necne; num igitur Thucydides verbis *πρότερον οὔπω σεισθεῖσα* contra Herodotum pugnaverit an huius motus rumorem a Deliis quibusdam acceperit quidem, sed non crediderit — de quibus rebus Schweighaeuserus et Classenius multum inter se dissentiunt — uterque editor iam recte suspicatus esse de ipso tremore mihi videtur. Etenim iure demonstrant motum illum Deliis auctoribus bello persico factum aut ab Herodoto ipso, cum addat *ὡς ἔλεγον Δήλιοι*, in dubium esse vocatum aut plurimis Graecis ignotum vel incredibilem fuisse.

Atque quis est qui neget Thucydidem certiorem esse factum Delum temporibus belli Peloponnesiaci motam esse? Num quis magis perspicue loqui potest quam verbis illis: Delus tremuit. Relictis igitur omnibus ambiguis vocibus ille nobis tradit Delum esse conquassatam. Quid contra Herodotus? Is non solum verbis suis addit *ὡς ἔλεγον Δήλιοι*, quo additamento ipse negat se pro certo habere illud prodigium, sed ex auctoritate etiam trium optimorum codicum [Med. Pass. Asc.] articulum *οἱ* ante nomen proprium *Δήλιοι* omittit. Num vero *Δήλιοι* articulo neglecto an *οἱ Δήλιοι* scribamus, summi esse momenti mihi videtur. Nam *οἱ Δήλιοι* sunt omnes fere incolae Deli insulae, *Δήλιοι* autem pauci quidam ex iis. In reliquis codicibus, exceptis illis tribus supra nominatis, articulum *οἱ* esse scriptum invenimus, quam scripturam secuti sunt Reizius, Wesselingius, Wassius, Baehrius [Schweighaeuserus in textu quidem *οἱ* servavit, sed non in adnotationibus]. Sed in codicibus Med. Pass. Asc. recte *Δήλιοι* omisso articulo scriptum idque a recentissimis editoribus probatum est; quod confirmatur eo quod Herodotus in initio cap. 97 narrat Delios *κατ' ἐξοχήν*

---

[1]) cfr. Salomon: Progr. des Friedr.-Werder'schen Gymnasium, Berlin 1851.

Persis ingredientibus in insulam Tenum fugisse. Scriptor igitur, cum dicat *οἱ Δήλιοι*, aperte tradit non modo non quosdam ex Deliis Persis invadentibus insulam deseruisse sed etiam plurimos ex iis Tenum fugisse. Quibus factis insulaque a Deliis plurimis deserta Datis, Persarum dux, naves ad Rheneam insulam parvam, ab insula Delo angustissimo freto disiunctam appulit, unde a Deliis per legatum petiit, ut in insulam redirent. Hi autem Persis in insula morantibus non redierunt; ergo, ut ex verbis Herodoti plane elucet non prius quam insula tremuerat, illam occupaverunt. Quae inde apparent, quod Herodotus reditum quidem Deliorum commemoravit, sed ut ex VI, 118 elucet, illos persuasum habuit Datim vocantem non secutos certe post profectionem Persarum, terrae igitur motu brevi ante facto [1]), domum rediisse. Etenim inspicientibus quae ille de hac re in c. 118 protulerit, liquebit Delios illos plurimos, qui fugerant et de quibus Herodotus dicit: quo tempore Datis cum excercitu in Asiam regressus Delum *ἄγαλμα Ἀπόλλωνος σεσυλημένον* miserat, *καὶ ἀπίκατο γὰρ τηνικαῦτα οἱ Δήλιοι ὀπίσω ἐς τὴν νῆσον*, hos Delios dico, postquam navibus Persarum solutis Delus terrae motu conquassata est, in insulam se retulisse. Quum igitur *οἱ Δήλιοι* Teni morarentur, Delus insula, quae *μετὰ δὲ τοῦτον ἐνθεῦτεν ἐξαναχθέντα ἐκινήθη*, nondum a Deliis habitata est; sed perpauci illi, qui Persis invadentibus vel morbo vel senectute impediti non fugerant, soli Delum occupaverunt, quo tempore Persae naves solverunt motusque terrae accidit. Ab iisdem perpaucis terrae tremorem et sentiri et cum aliis tum Herodoto narrari potuisse elucet. Quum autem legentibus statim sub oculos cadat, quam timidi [2]) cum ceteri Graeci tum Delii fuerint illis temporibus, suspicari licet, illos paucos, qui in insula remanserant, maximo pavore esse captos. Ac ne illud quidem a probabilitate abhorret, illos tanto terrore esse affectos, ut non assidue, num motus verus an fictus fuisset, sibi persuaderent. Quam ad opinionem excitandam et bellum quodque, siquidem veteres talia prodigia bellis antecedere certe putabant, et persicum illud in primis aptum fuit, quod Herodotus ipse

---

[1]) Ille enim narrat VI, 98 statim post profectionem Persarum Delum esse agitatam. — [2]) cfr. Herod. VI, 96. 97.

demonstrat his verbis: οὕτω οὐδὲν ἦν ἀεικὲς κινηθῆναι Δῆλον. — Huc accedit, quod animi Deliorum parati ad opinionem de terrae motu concipiendam illo oraculo antiquissimo, quod sive ab Herodoto ipso scriptum sive postea adiunctum [1]) illo certe tempore dicebatur [VI, 98 14]. Quid dicam de veterum superstitione, qua ex publica et privata vita, ex plurimis illis cultibus sacris, ex scriptis cum aliorum tum Herodoti satis apparet? Mihi quidem non mirum videtur, quod illi perpauci Delii, perterriti initio belli persici, quod iis ex oraculo antiquissimo terrae tremore indicatum iri dicebatur, et perturbati Persarum invasione illud portentum esse effectum crediderunt. Praeterea facile fieri poterat, ut Delii relicti propter debilitatem corporis vel animi agitatam esse insulam putarent, cum forsitan tempestates saevirent et aestu ferveret mare. Quare nobis illud haud improbabile videri potest, quod veteres illi, quorum timor atque superstitio et oraculo et hostium ingressione aucta erant, factum vere esse putarunt terrae motum, qui non accidit. Hanc sententiam confirmat etiam illud, quod Thucydides illum priorem motum non commemoravit. Qui si vere mota esset Delus temporibus belli persici, illam esse bis concussam scripsisset; siquidem, ut supra demonstravi, Thucydidem illius prioris tremoris ab Herodoto traditi esse oblitum verisimile non est.

At dicat quispiam Herodotum iure terrae motum priorem memoriae prodidisse, sed illum fuisse tam parvum, ut qui post bellum persicum vixisset, nihil de hac re sciret. Potestne autem credi, neminem ceterorum Graecorum nisi Herodotum hoc accepisse a Deliis tum viventibus; praesertim cum Thucydides etiam in illas regiones profectus certe de omnibus fere rebus quaesiverit? Nam ex Deliis, qui Herodoto hunc motum narraverant, maxima pars certe vixit, quo tempore Thucydides Delum insulam visit.

Quibus de causis Thucydidem recte illud prodigium temporibus belli persici factum neglexisse arbitror atque hac in re consentio cum plerisque nostrorum interpretum exceptis illis, quos supra nominavi. Sed illud laudandum non est, quod Thucydide probato Herodotum neglegentiae vel potius credu-

---

[1]) cfr. Stein: Ausg. d. Herodot; Anm. zu VI, 98 13 ff.

litatis accusant. Equidem non nego hanc aliasque discrepantias inter duos optimos Graecorum scriptores primo aspectu tolli non posse videri nisi ita, ut alterum probemus, alterum reiiciamus. Sed persecutus subtilius dicendi vel narrandi rationem Herodoti intellexi, hanc interpretum sententiam non esse iustam, sed potius Herodotum quoque bonum et certum auctorem esse habendum. Quod esse iustum iudicium inveniemus, si paulo accuratius ac diligentius de Herodoti auctoritate disseruerimus.

II.

Profecto concedendum est Herodotum sive amore quodam [1]) sive odio [2]) permotum non aequo animo omnia protulisse neque solum de barbaris ex Graecorum ingeniis iudicasse, sed eorum verba etiam et animos finxisse ex sua natura. Sed scriptorum graecorum quis est quin haec fecerit? Ac ne illud quidem negari potest, ab Herodoto multa esse scripta, quae incredibilia vel fabulosa neque probabilia vel aequalibus visa sunt vel nobis videntur. Quae res tam mirabiles partim ab historicis vel a peregrinatoribus probatae sunt velut quae incredibilia ille de Aegypto tradidit, partim non recte ab editoribus intellectae sunt. Etenim Herodotus bene scivit narrationem suam saepius verum egredi et ad fabulosum narrandi genus accedere; sed ubique hoc indicavit. Hoc ab eo esse factum iam inde intelligitur, quod scriptor summa cum diligentia distinguit inter ea, quae ipse vidit vel audivit, quae ab aequalibus comperit, quae fando accepit, quae ipse tamquam sibi probata addit. Quare invenimus scriptorem quidem nunquam a vero aberrasse, ubi res quas ipse vidit vel audivit in medium profert. Ubi autem rerum prioribus temporibus gestarum vel fabularum mentionem facit, has narrationes esse veras spondere non vult. Atque hoc narrandi consilium per totum

---

[1]) Samiorum I, 70; II, 168; III, 26. 39 ff. 54 f. 60. 120 ff. 139 ff.; IV. 43. 88. 152; V, 112; VI, 13 f. 22 f.; VIII, 85; IX, 106. — Coorum VII, 163. — regum macedonicorum V, 22. — Artabazi Persae VIII, 126. — Pausaniae Lacedaemoniorum regis V, 32. — Aristidis VIII, 79, 95 etc.

[2]) Ionum I, 142 ff.; VI, 12. — Alevarum VII, 6. 30. 172; IX, 1. — Themistoclis VIII, 4.

opus Herodoteum esse usurpatum demonstrare mihi propositum est. Cui rei explicandae ita satisfaciam, ut pervestigem maxime historiarum librum primum.

Scriptor iam in exordio libri primi quae fuerit causa inimicitiarum inter Asiam et Europam anquirens, quippequi ipse nihil certi de hac re habeat, componit fabulas, quas et a Persis quibusdam historicis et a Phoenicibus acceperat. Et cap. 5 10 dicens *ταῦτα μέν νυν Πέρσαι τε καὶ Φοίνικες λέγουσι* iure ac rite confirmat, *se ipsum* quidem, utrum tali an alio modo haec facta sint, iudicaturum non esse; sed quem ipse noverit primum fuisse iniuriarum Graecis illatarum auctorem, illum esse significaturum. Ibi igitur [eodem in cap. 5 18] pronuntiat ille *semet ipsum* hoc in loco nihil esse narraturum *nisi quod sciat vel pro vero habeat*. Nonne his verbis plane demonstrat, fidelem se esse et bonum historiae auctorem? Quod melius cognoscitur ex III, 115 ubi de extremis Europae partibus sibi nihil certi notum esse profitetur. Quamquam enim videt Graecos Phoenicum narrationes fabulosas secutos descriptionibus mythicis has regiones exornasse, ipse tamen et his fabulis credere dubitat et eas expresse in dubium revocat. — Iustam deinde narrationem incipit a Croeso, qui primus Graecos liberos Asiae subegerit, eiusque de maioribus et de rebus publicis ac domesticis narrat [in cap. 6 — 94]. Atque quis est qui neget Herodotum bene institutum de Croesi rebus semper fere ad veritatem accessisse? His de rebus cur non dixerit, quibus e fontibus hauserit [1]), inde cognoscimus, quod ipse, ut ex verbis satis apparet, in Lydia finitimisque terris moratus se erudivit et quaequae tradit, ea esse vera putat. Neque tamen, ubi res tradita postulat vel per se incredibilis videtur, haec vario modo significare negligit. Veluti ubicunque ea quae narrat dubia videbantur, narrationi addit talia *τῶν ἡμεῖς ἴδμεν* 6 5. 14 12. 94 4. 193 14; *ὡς ἐμοὶ καταφαίνεται* 58 3; *ὡς ἐγὼ πυνθάνομαι* 92 9; *ὡς ἐγὼ πυνθανόμενος εὑρίσκω* 105 9; *ὡς ἐγὼ δοκέω* 119 30. 186 6;

---

[1]) Herodotus semper fere auctores rerum traditarum nominat eosque narrantes vel dicentes vel iudicantes historiis intexit. Quaecunque autem ipse vidit vel audivit, iusta narratione complectitur atque aut se ipsum auctorem appellat aut sententiarum nexu demonstrat se esse rerum auctorem.

ὡς ἐμοὶ δοκέειν 131 4; *φαίνονταί μοι* 143 11; *δοκέουσίν μοι* 145 3; *ὡς ἐμοὶ δοκέει* 152 11; *κατὰ γνώμην τὴν ἡμετέρην* 196 3; *κρίνω* 214 5.

Ab hac ratione, in qua semper fere tempore historico utitur, differunt multum ea quae, dum res vel mores vel habitum vel instituta vel leges prioris et suae aetatis inter se comparat aut ea commemorat, quae ad suam aetatem pertinent, ipse addit. Hoc iam ea re indicatur, quod statim ex tempore historico transit ad praesens tempus veluti 10 10; 74 22; 82 32; 93 13; 98 23; 101 2; 105 12. 15; 110 7; 125 9; 131—140 ubi de Persarum moribus loquitur; 142 1 et 143 11 ubi *καὶ νῦν* usurpat; 144—148 de Ionum rebus; 149—151 de Aeolum urbibus et rebus; 153 12 de institutis Persarum; 163 5 et 167 10 *καὶ νῦν ἔτι*; 171 de Caribus; 172 de Cauniis; 173 de Lyciis, de quibus insolitam quidem sed ex antiquitate probatam rem narrat, illos esse nominatos a matribus, non a patribus; 174—175 de Cnidiis et Pedaseensibus; 179—185 de Babyloniorum urbe et finibus. — Pulchrum deinde huius usus exemplum est in cap. 188 4 seq. *στρατεύεται δὲ δὴ βασιλεύς* etc. Nam hoc in loco praesens tempus non ad Cyrum solum quasi praesens historicum sed ad reges Persarum posteriores, qui Herodoti aetate fuerunt, spectare apparet. Similiter dictum est c. 192 de Babyloniorum opibus; c. 193 Assyriorum de agri cultura et frumentis, c. 194 de navigatura quadam mirifica, c. 195 de vestitu, c. 196—200 de moribus atque institutis. — Ut autem ipso temporum genere, num viderit res necne, plane exprimit, ita verbis suis explicat, quas res ipse oculis perceperit. Veluti se ipsum aspexisse dona a Gyge templo Delphico consecrata in cap. 14 dicit illaque non in Corinthiorum sed Cypseli thesauro esse collocata docet. Idem fecisse eum videmus describentem cum alia dona a Croeso ad Delphicum deum missa tum craterem argenteum et dolium aureum. Quorum de utroque, quid ipse sentiat cum indicet, assentitur Delphiis illud esse opus Theodori Samii contendentibus, refutat autem Lacedaemonios, qui falso ab ipsis donatum esse dolium dixerint, in c. 50. Nonne his verbis plane discimus, Herodotum non solum quae ab aliis acceperat vel ipse viderat fideliter reddidisse, sed etiam ubicunque opus esse videbatur critica ratione in tradita inquisivisse? Quam virtutem

scriptoris ut exemplis illustrem huius rei testimonia quaedam egregia ex ceteris historiarum libris in medium proferam. Atque praetermissis illis verbis, quibus Herodotus se non credere tradita indicat vocibus *ἐμοὶ μὲν οὐ πιστὰ λέγοντες* I, 182$_{2}$; II, 73$_{9}$. 121 ε$_{4}$; IV, 25$_{3}$; *πολλὸν τῆς ἀληθείης ἀπολελειμένοι* II, 106$_{18}$; *ἐμὲ μέν νυν ταῦτα λέγοντες, οὐ πείθουσι* IV, 105; *οὐδαμῶς ἔμοιγε πιστός* VII, 214$_{5}$; VIII, 119$_{2}$. 120$_{5}$; *θωυμάζω δὲ εἰ τὰ λεγόμενά ἐστι ἀληθέα* VIII, 8$_{10}$ et de eodem viro *λέγεται μέν νυν καὶ ἄλλα ψευδέσι εἴκελα* VIII, 8$_{14}$, scriptor II, 117 et IV, 32 in dubium vocat, num Homerus fuerit auctor Epigonorum. Nimirum Herodotus non dubitat, quin Homerus ipse fuerit poeta et confecerit Odysseae et Iliadis libros. Quod plane intelligitur ex digressione illa de Helena II, 112—120. Neque ea re differt ab aequalibus. Quare mirandum nobis est, quod scriptor de Homero Epigonorum auctore dubitavit. Neque enim illis temporibus, quin Homerus ipse illa cyclicorum poemata composuisset, quisquam in dubium vocavit. Sed ille in II, 116 versibus quibusdam ex Homeri Iliade et Odyssea allatis demonstrat carmina Cyprica [1]), quae Homero poetae falso tributa sint, nullo modo ab eo componi potuisse, quippequae repugnent illis versibus Homericis. Idem IV, 32 num Homerus composuerit Epigonos, in dubium vocat. Deinde scriptor in VI, 121 longiore digressione disserit, quamvis concedendum sit clipeum quendam utique sublatum esse, sibi tamen persuadere se non posse, ab Alcmaeonidis scutum esse sublatum, ut Persis signum quoddam darent. Nam satis constare illos fuisse tyrannorum inimicos neque ullos viros Athenis magis spectatos magisque honoratos. Idem in VII, 153 cum tradat qua ratione Telines sacerdotium *τῶν χθονίων θεῶν* et sibi et posteris conciliaverit, id eo magis se admirari dicit, quod talia facinora non ab homine quolibet sed a viro forti et strenuo patrari possint; Telinem autem fuisse hominem effeminatum et mollem a Siculis confirmari addit. — Ac ne illud quidem, quod in Herodoto reprehenditur, eum omnes fabulas

---

[1]) Aristoteles [Poet. 23] in Herodoti sententiam discedit planeque demonstrat, carmina Cyprica non esse composita ab Homero. Cfr. Stein ad Herod. II, 117.

recepisse neque de earum veritate quaesivisse, eius scriptis confirmatur. Ut exemplum afferam, ille in c. 122 15 bene argumentatur, unde fabula illa Cyrum esse nutritum a cane orta sit. Similiter dicta sunt I, 60. 75; II, 45. 57. 131; III, 115; IV, 25. 36. 45. IV, 96. 105; VII, 91; VIII, 94. 118 sequ. Nonne haec docent Herodotum haud alienum fuisse a subtili atque acri iudicio? An quis est, quin videat, quam prudens atque cautus fuerit auctor Herodotus, qui cum omnia Croesi dona enarret et quae sit eorum figura indicet, in describendo tamen illo mulieris simulacro c. 51 25 addit, Delphios dixisse, eam esse effigiem pistricis Croesi? In enumerandis ceteris donis dicit tantum se ipsum illa vidisse, velut leonem 50 18 „nunc in thesauro Corinthiorum repositum", aliaque multa 92 1 verbis *ἔστι καὶ ἄλλα* etc. Ubiubi aliquid aspexit, hoc indicat veluti 93 3 vocibus *ἐν . . . ἔργον . . . παρέχεται* etc., neque aliter verbis *οἶδα* 131 1. 140 5 etc.; *ἀτρεκέως ἔχω* 140 1; *πυνθάνομαι* 170 21. 196 4. 214 6 etc.; *ἀξιοθέητα* 184 7; *ἄξιον θώματος* 185 18; vel utitur vocibus *καὶ ἐς ἐμέ* 52 6. 66 21. 92 6. 93 9. 181 6 etc.

Prudens autem Herodoti iudicium non minus eo demonstratur, quod quotiescunque duas vel plures narrationes vel sententias traditas invenit, non unam aut alteram solam commemoravit, sed utramque in medium protulit. Etenim aut utriusque sententiae mentionem facit neque tamen alteram esse veram profiteri conatur sed legentibus rem diiudicandam committit veluti 20 1. 27 5. 65 18. 171 23. 191 1. 201 6; aut addit quid ipse iudicet velut 70 8. 75 24; aut suae sententiae opponit ea quae alii de his rebus censuerint 172 1. Simili ratione scripsit ille in II, 15—17. 20. 134. 145. 175. 181; III, 1. 9. 45. 56. 85. 87. 120—121; IV, 11. 76; V, 44 etc. Qua de re etiam in narrandis iis, quae ipse probat, ubicunque aliquid incerti referendum est, illud verbis suis accurate significat. Huius diligentiae ut exempla afferam, in cap. 23—24 digressionem faciens de Arionis fabula, huius narrationis auctores nominat Corinthios et accurate discernit 24 36 inter ea, quae illi tradiderunt et quae ipse vidit. Hanc ad rem explicandam plerumque utitur verbis *λέγουσι* 105 11. 15. 137 8. 171 23. 181 20. 182 5; *ἔλεγον* 183 5; *λέγεται* 75 13. 87 1. 91 1. 103 2. 153 2. 188 1.

191 26. 214 7; *λέγονται* 182 7; *λέγοντες* 78 12. 94 9; *λεγομένῳ* 61 5; *φασί* 94 6. 137 11. 138 7. 182 1; *φαμένων* 176 10. — Praeclarissimum vero argumentum, quam prudens fuerit Herodotus auctor, est illud, quod narrat de Pausania Lacedaemoniorum rege in V, 32. Ibi enim cum dicat haec: „....... *τοῦ Παυσανίης ... εἰ δὴ ἀληθής γε ἐστὶ ὁ λόγος, ὑστέρῳ χρόνῳ τούτων ἡρμόσατο θυγατέρα, ἔρωτα σχὼν τῆς Ἑλλάδος τύραννος γενέσθαι*, veritatem huius narrationis verbis *εἰ δὴ ἀληθής γε ἐστὶ ὁ λόγος* in dubium vocat. Comparantes quae de Pausania Thucydides I, 128—132 tradiderit, statim videmus, Thucydidem non solum hanc rem pro certo habuisse et prodidisse sed etiam multo graviora ei dedisse crimini. Quam discrepantiam utriusque scriptoris ut illustremus, propius ad Thucydidis verba accedamus. Atque ille cur Pausanias a Lacedaemoniis accusatus et morte affectus sit quaerens I, 128 huius poenae causas in sequentibus capitibus profert. Pausaniam conspirasse cum Persarum rege ad Graeciam subigendam; quod ut perficeret, scripsisse eum ad Xerxem epistulas quasdam. Quamquam autem non negabo Lacedaemonios scientiam epistularum illarum, quas *Xerxes ad Pausaniam* misit, consequi *potuisse*, non tamen video, qua ratione et Lacedaemonii et Thucydides cognoverint illas *ad Xerxem* conscriptas epistulas, quarum singula verba Thucydides nominatim produxit. Estne probabile has epistulas a Xerxe *libenter* acceptas[1]) et certe servatas Graecis sub oculos venisse? Unde igitur Thucydides ipsa epistularum verba *nominatim* afferre potest? Neque enim hic scriptor, ut omnibus fere in locis facere solet, quibus e fontibus hauserit, hoc in loco indicat, sed utitur illa voce ambigua: *ὡς ὕστερον ἀνευρέθη*. Equidem hac in narratione consentio cum Herodoto eumque laudo quod cautus ambiguum rumorem, de quo nihil certi constare potuit, sine ulle iudicio commemoravit. Videmus igitur hoc in loco Herodotum cautiorem et prudentiorem fuisse auctorem quam Thucydidem. — Atque illud quoque fidem scriptoris certissimo testimonio probat, quod ipse se non posse narrare dicit, quippequi nihil habeat quod referat. Hoc esse confirmatum ab eo

[1]) *Ξέρξης δὲ ἥσθη τε τῇ ἐπιστολῇ.*

c. 49 videmus, ubi quid sit quod ab Amphiarai oraculo fuerit responsum Croeso se nescire profitetur; neque enim de hoc aliud quidquam commemorari nisi quod hoc quoque oraculum esse verum Croesus invenerit. Item in c. 57, ubi Herodotus scribit se pro certo affirmare non posse, qua lingua Pelasgi sint usi, sed coniecturam facere [160 7. 172 4]. Neque enim coniecturas capere vel sententiam suam dicere dubitavit Herodotus. Sed ubicunque attulit coniecturam vel sententiam suam dixit, hoc indicat verbis veluti 57 2. 58 7. 60 11. 78 4. 137 1. 139 3. 146 4. 194 23 etc. — Atque ut locum quendam, ubi scriptor sententiam suam tulit, in medium proferam, huc spectat quaestio illa illustrissima V, 58—59 ubi Herodotus, unde acceperint, quomodo excoluerint Graeci litteras, accurate atque recte exponit. Nam cum Stesichorus Himeraeus litteras graecas esse inventas a Palamede, Aeschylus eas esse a Prometheo Graecis paratas, alii huius artis inventores esse Musaeum vel Orpheum vel Linum et putassent et docuissent, Herodotus primus contendit — ὡς ἐμοὶ δοκέειν — et plane demonstrat Graecos γράμματα οὐκ ἐόντα πρὶν Ἕλλησι a Phoenicibus accepisse. Primus igitur ille liber ab illa superstitione Graecorum, qui ea omnia, quorum principia aperire non potuerunt, ad deos vel fabulosos viros tamquam auctores retulerunt, docet Graecos acceptis a Phoenicibus litteris primo sine ulla mutatione esse usos, deinde autem earum formam mutavisse.

Non minus accurate quam in narrandis rebus egit ille in geographia explananda. Nam omnibus in locis aut ipse dicit aut sententiarum nexu significat, num ipse regiones, de quibus loquitur, permigraverit an terrae cognitionem ab incolis vel peregrinatoribus acceperit. Quare in dubio esse non possumus, quin ea ipse viderit quae de finibus Medorum Lydorumque c. 72, de Pteria 76 2, de campo magno ac nudo ante urbem Sardes sito c. 80 1, de Ecbatanis Medorum capite c. 98 13, de Colchis et Saspiribus 104 tradidit. Item de Mydiae montibus 110 8, de urbibus Asiae minoris 142 sequ., de situ Branchidarum templi 157 14, de finibus Cnidiorum 174 7, de Gynde et Tigride fluviis 189. — Qua in re eum interdum a vero paululum aberrasse, mirum non est, quod non omnes illas res, quas tradidit, ipse perscrutari potuit, sed universae

geographiae operam dedit[1]). Sed eo admirabilius et aptius ad ingenium huius viri cognoscendum est illud, quod VII, 126 recte illos fines enumeravit, citra quos leones in Europa invenirentur. Illum enim recte iudicasse testes sunt viri harum rerum peritissimi Aristoteles[2]) et Plinius, qui eosdem fines nominant.

Sed haec mittamus, redeamus ad libri primi argumentum. Expositis igitur Lydorum rebus venit Herodotus ad Persas, quorum principia, reges, mores, instituta, cultus docet et moratur in Cyri regno describendo. Atque anquirens, quisnam fuerit ille Cyrus, qui Croesi imperium evertit, clare ac pulchre profitetur, quibus narrandi rationibus uti velit. Nam iis Persis auctoribus se usurum esse dicit, qui non extulerint Cyri res, sed secundum veritatem retulerint, cum tres inter se diversas narrationes de Cyro regnante esse aperte sciat. Similiter confirmat ille in cap. 140, se narrationem pro certo habere eamque esse veram scire, siquidem de hac certior factus sit, id est viderit res. Verissimae autem et accuratissimae narrationis est, quod scriptor in cap. 183 dicit haec se ipsum non vidisse, sed referre tantum, quae a Chaldaeis narrentur. — Nam quamvis *δι' αὐτοψίας*, ut ita dicam, satis bene eruditus sit, ea tamen quae mirabilia iis hominibus, qui illa non attigerint, incredibilia videntur, non commemorat [cap. 193 $_{22}$]. Iure quidem hoc in loco tacet de magno numero miraculorum, quae vidit in Assyriorum agris, quaeque quamvis et aequalibus et nobis improbabilia sint, a nostris tamen viris doctis probata sunt.

Deinde quod Herodoto esse magno opprobrio iam saepe dictum est, librum primum perlegentibus in oculos cadit, illum in historiarum parte aliqua promisisse, quae postea non explevit. Huius rei exemplum est cap. 106 $_{10}$, ubi ille quomodo Persae Ninum ceperint, in alio historiarum libro se expositurum esse pollicetur, sed non facit. Sed hanc non esse neglegentiam neque etiam vitio esse vertendam facile cognoscimus id considerantes, quomodo Herodotus opus suum instituerit et composuerit. Nam satis constat, omnes libros ab Herodoto non

---

[1]) Veluti cap. 72 $_{12}$ falso contendit iter fieri posse a viro expedito quinque diebus. — [2]) Histor. An. VI, 28; VIII, 27.

uno quasi tenore confectos sed per totam fere vitam tractatos esse. Nam cum itinera faceret, quaecunque vidit vel audiendo comperit, eum notasse et domum reversum res singulas composuisse probabile est. Qua de re videmus priores operis partes accuratius scriptas magisque perpolitas, librum autem octavum et nonum non esse perfectos. Huius rei testimonia sunt et narratio illa de sacerdote Minervae I, 175, iterata VIII, 104 et liber nonus non ad finem perductus et illi loci, ubi ut rem traditam magis explicet, ad aliam historiarum partem, qui nusquam invenitur, legentes remittit. Nam cum in I, 75 3 [τὴν ἐγὼ ἐν τοῖσι ὀπίσω λόγοισι σημανέω] legentes remittens ad I, 107—129; vel in II, 38 7 [τὰ ἐγὼ ἐν ἄλλῳ λόγῳ ἐρέω]; in II, 161 9 [τὴν ἐγὼ μειζόνως μὲν ἐν τοῖσι Λιβυκοῖσι λόγοισι ἀπαγήσομαι] remittens ad IV, 161; vel in V, 22 3; V, 36 19; VI, 19 17; 38 8; VII, 93 6. promissa quaeque argumenta in historiarum posteriore parte exposuerit, narrationem in I, 106 10 verbis ἐν ἑτέροισι λόγοισι δηλώσω promissam nusquam tradidit. Idem esse factum intelligimus I, 184, ubi pollicitus quidem est regum Babyloniorum in historia mentionem se esse facturum rerum Assyriarum, hoc tamen nullo in loco fecit, et VII, 213 12 ubi quomodo et cur Ephialtes interfectus sit, ἐν τοῖσι ὄπισθε λόγοισι narraturum se esse promittit. Neque enim ad probabilitatem accedere mihi videtur illa Steinii sententia, de morte Ephialtae tradi potuisse in lacuna post VIII, 20 codicibus significata. — Sed hac quaestione omissa iam illud videamus, quomodo hoc crimine absolvendus sit scriptor. Atque illum Thuriis [1]) extremam manum historiis imposuisse neque a labore destitisse priusquam vita esset finita, ex aliorum scriptorum testimoniis vel multis indiciis constat. Quare quominus opus suum ad perfectionem iustam redigeret, morte impeditum esse scriptorem verisimile est. Nonne videmus etiam Thucydidem media in perfectione libri octavi esse mortuum? Quod et ex libro octavo ad finem non perducto et inde apparet, quod orationes illas, quas in

---

[1]) Cfr. Kirchhoff: Ueber Abfassungszeit des Herodot. Geschichtswerkes. — Abh. d. Kgl. Academie der Wissenschaften, Berlin 1868; u. Kirchhoff: Nachträgl. Bemerkg. über Abfassungszeit des Herodot. Geschichtswerkes. Abhandl. d. Kgl. Academie der Wissenschaften, Berlin 1871.

reliquis libris accurate constitutas planeque expositas esse invenimus, in ultimo libro ad spatium quoddam minimum coarctatas et tamquam breviter adumbratas videmus. Huius igitur neglegentiae accusandum non esse Herodotum sed potius culpam esse dandam morti, si ita dicere licet, mihi persuasum est.

In fine denique libri primi narrans quae de ultimis Cyri temporibus acceperit, venit ad Massagetas, quem populum non ipsum se vidisse et affirmat et eo demonstrat, quod hac in parte libri primi semper fere usus est vocibus λέγειν vel φάναι similibus.

Respicienti mihi ad totam hanc narrandi et dicendi rationem, quae optimo ex iudicio, subtili ex consilio orta est, nihil nisi ea cum in reliquis historiarum libris tum in primo tenuisse videtur Herodotus quae in locis quibusdam de ratione sua scribendi ipse plane professus est. Nam in II, 123: „ἐμοὶ δὲ παρὰ πάντα τὸν λόγον ὑποκέεται ὅτι τὰ λεγόμενα ὑπ' ἑκάστων ἀκοῇ γράφω“; in VIII, 133 „οὐκ ἔχω φράσαι· οὐ γὰρ ὦν λέγεται“; in VII, 139 „ἐνθαῦτα ἀναγκαίῃ ἐξέργομαι γνώμην ἀποδέξασθαι ἐπίφθονον μὲν πρὸς τῶν πλεόνων ἀνθρώπων, ὅμως δέ, τῇ γ' ἐμοὶ φαίνεται εἶναι ἀληθές, οὐκ ἐπισχήσω“; in VII, 152 „ἐγὼ δὲ ὀφείλω λέγειν τὰ λεγόμενα, πείθεσθαί γε μὲν οὐ παντάπασι ὀφείλω, καί μοι τοῦτο τό ἔπος ἐχέτω ἐς πάντα λόγον“ scribit, quibus verbis docet omnia se tradere quae de unaquaque re memorata acceperit; se ipsum nihil fingere sed ea narrare quae memorantur; se in tradenda historia non abhorrere ab invidia hominum; se debere narrare quae memorantur, neque vero se omnibus utique narrationibus fidem habere.

Quae cum ita sint, non video cur editores Herodotum neglegentiae vel etiam mendacii in rebus narrandis culpent. Etenim qui accurate disiunxerint ea quae scriptor ipse vidit vel audivit, ab iis quae accepta ab aliis vel comperta tradidit vel quae ipse tamquam sibi probata addidit, nunquam Herodotum mendacem esse auctorem invenient.

Itaque ut redeam ad quaestionem de Delo insula concussa, quam supra tractavi, non intelligo, quibus de causis interpretes poscant, ut Herodotus verum esse rumorem de terrae motu a

Deliis quibusdam sparsum spondeat. Nam scriptor dicens Deliis auctoribus — ὡς ἔλεγον Δήλιοι — motam esse insulam, tradit quae a Deliis paucis acceperat, non aliter atque in illis locis, quorum magnum numerum supra posuimus, sed recusat, ne hanc narrationem esse veram spondeat. Nisi de re dubitasset, ex narrandi ac scribendi ratione hoc certe indicasset aut verbis ὡς ἔλεγον Δήλιοι omissis aut additamento quodam veluti καὶ ἐγὼ δοκέω I, 51 12; καὶ εὖ μοι ἐδόκεον λέγειν II, 5 1; τοῖσι λέγουσι πείθομαι II, 12 1; καὶ ἐμοὶ δοκέει II, 15 12; αὐτὸς τῷ λεγομένῳ πρόςκειμαι IV, 11 2 etc. Quare iure contendere possumus, illum ipsum praestare noluisse hanc narrationem esse veram et quamquam rumorem tradidit, Deliis tamen haec narrantibus ipsum non credidisse.

III.

Quibus de causis Herodotus de motu terrae se dubitare non dixerit, id quod in aliis locis facere solebat, veluti verbis ἐμοὶ μὲν οὐ πιστὰ λέγοντες I, 182 1; II, 121 ε 4; V, 86 14; ταῦτα λέγοντες δοκέουσι λέγειν οὐκ οἰκότα V, 10 4, ex sequentibus eius verbis facile est intellectu. Nam cum scriptor dicat τοῦτό κου τέρας ἀνθρώποισι τῶν μελλόντων ἔσεσθαι κακῶν ἔφηνε ὁ θεός et pergat: οὕτω [cum Graecia temporibus Darii, Xerxis, Artaxerxis tantis malis afficeretur] οὐδὲν ἦν ἀεικὲς κινηθῆναι Δῆλον τὸ πρὶν ἐοῦσαν ἀκίνητον accedit Herodotus ad miracula et fata, quae per totum opus certissima minimeque dubia esse demonstravit. Nam res divinas summo cum studio persequitur semperque id agit, ut omnes res temperari et regi a diis divinoque numine ostendat. Quid? quod totum opus suum ad providentiam divinam spectare et quaequae acciderent, non ad causas humanas revocanda sed numini divino tribuenda esse permultis exemplis docet. Neque ab illius temporibus aliena est haec sententia, quam ab Aeschylo quoque, ut exemplum afferam, in tragoedia, quae inscribitur „Persae“ [1]) usur-

---

[1]) Aeschylus calamitatem illam Xerxi et Persis illatam iustam deorum poenam fuisse per totam tragoediam demonstrat. Multis in locis regis superbiam et insolentiam extollit, qua de re mirum non esse indi-

patam esse invenimus. — Quare demonstrat scriptor, fatum omnium rerum legem aeternam esse, quae firmis normis res humanas moderetur, consilia hominum aut adiuvet aut ad irritum redigat, inprimis autem omnium rerum eventum temperet. Homines fato necessario addicti nunquam illud effugere possunt [I, 91; III, 43. 65; VII, 17; IX, 16]. Quaecunque cogitant vel faciunt, haec necessitate fatali constricta sunt [III, 65; IV, 79]. Dii autem infra fines fato [1]) constitutos res

---

cat, quod dii ὕβριν κἄθεα φρονήματα Xerxis et Persarum ulti sint. Ut versus quosdam afferam, haec expresse confirmat versibus 813—815:

τοιγὰρ κακῶς δράσαντες οὐκ ἐλάσσονα
πάσχουσι, τὰ δὲ μέλλουσι, κοὐδέπω κακῶν
κρηπὶς ὕπεστιν, ἀλλ᾽ ἔτ᾽ ἐκπιδύεται.

versibus 827—828:

Ζεύς τοι κολαστὴς τῶν ὑπερκόμπων ἄγαν
φρονημάτων ἔπεστιν, εὔθυνος βαρύς.

cfr. Jacobs verm. Schr. V, p. 586.

Atque quis est quin intelligat, Aeschylo et Herodoto commune fuisse id propositum, ut ex belli persici eventu summam deorum vim plane apparere ostenderent? Quid? quod haec iisdem fere verbis uterque vir demonstrat. Etenim Aeschylus nuntium dicentem facit in versibus 345—347:

ἀλλ᾽ ὧδε δαίμων τις κατέφθειρε στρατόν,
τάλαντα βρίσας οὐκ ἰσορρόπῳ τύχῃ.
θεοὶ πόλιν σώζουσι Παλλάδος θεᾶς.

itemque scribit Herodotus VIII, 13:

ἐποιέετό τε πᾶν ὑπὸ τοῦ θεοῦ ὅκως ἂν ἐξισωθείη τῷ Ἑλληνικῷ τὸ Περσικὸν μηδὲ πολλῷ πλέον εἴη.

[1]) Nego quae Ditges [Programm d. Kgl. Gymn. zu Koblenz 1842] alii viri docti contenderunt fatum divino deorum numine contineri neque ullo modo ab ipsorum deorum voluntate differre. Huic sententiae repugnant illi loci, ubi Herodotus perspicue de diis fato subiectis loquitur [I, 91; VI, 135; VIII, 53]. Respicienti mihi praetermissis aliis locis ad I, 91, ubi Herodotus Pythiam a Croeso de malo expeditionis eventu interpellatam respondentem facit, sortem fato destinatam ne deum quidem evitare posse, non vera videntur quae Ditges ad explicandam hanc difficultatem affert. Ille enim τὴν πεπρωμένην μοῖραν ad deorum numen referri iubet idque confirmat his verbis nihil aliud significari quam legem a diis κατ᾽ ἐξοχὴν constitutam. Quare illam Pythiae responsionem ita interpretatur: „Quod deorum voluntate constitutum est, id est inevitabile, ut ne a deo quidem possit evitari.“ Opponit igitur cunctos deos vel consilia deorum universorum uni deo. Equidem non video, quo pacto is referre possit illud πεπρωμένην ad deos. Nam in-

humanas curant aliisque bona aliis mala tribuunt et maxime id agunt, ne ullus homo nimiam prosperitatem adipiscatur [I, 32. 34; III, 40; IV, 205; VII, 10 ε. 46; VIII, 13].

Videmus igitur Herodotum nimio studio atque amore has res divinas amplexum semper id spectasse, ut deorum auctoritatem omnibus fere in rebus quotidianis apparere confirmaret. Quo factum est, ut hac superstitione impeditus, quominus de divinis rebus aequo animo iudicaret, saepius a veritate aberraret neque solum hominum res cupidius ad deorum potestatem revocaret, sed etiam res naturales ex divino numine deduci iuberet. Quam ad rem illustrandam nonnulla si placet exempla ex libris eius depromam.

Atque Herodotus quidem, ut deos vindices superbiae atque insolentiae esse demonstret, omnes fere hominum res adversas ad hanc deorum iustitiam referendas esse et persuasum habuit et docuit. Nusquam paene, quin haec mala non naturalibus causis sed divina potestate explicanda essent, is dubitavit. Quam sententiam ut toto historiarum argumento ita singulis narrationibus creberrimis docet [1]). Quarum e numero pulcher-

---

spicienti mihi verba Herodoti apparet deos vel deum — θεός sine articulo et in singulari numero utitur scriptor ad significandum deorum numen — esse oppositos fato, non pares. Cum igitur deus, id est deorum numen, Herodoto auctore fatum effugere non possit, perspicuum est, ab eo fatum maiore auctoritate praeditum esse credi quam deos. Si autem hoc in loco θεός non esse dictum pro deorum numine sed significare deum quendam probamus, ineptum videtur cogitare, deum quendam voluntati vel consilio ceterorum deorum palam et coram omnibus resistere. Quare nego Ditgesium in sequenti recte argumentatum esse, sententiam suam confirmari illa responsionis Pythiae parte, ubi dicit per tres annos distulisse Apollinem Sardium expugnationem etc. Neque enim verisimile est deorum consilium longe diversum fuisse a deo quodam. Quamquam igitur legimus ab Homero deos ita esse descriptos, ut alter alteri obsisteret multaque molesta parare conaretur, videmus tamen tantum abfuisse, ut ille poeta simplicissimus mundi moderationem in singulorum deorum libidinem verteret, ut cum ceteros deos Iovi subiiceret neque unquam nisi clam ac furtim obsistentes faceret, tum Iovem ipsum fato subiectum esse vellet. —

Sed haec hactenus. Paulo accuratiorem quaestionem de hac re repono in futurum usum.

[1]) I, 86. 91. 159. 160. 167; II, 120. 139; III, 30 etc.

rimam in medium proferam: Enumeratis in VI, 76—83 Cleomenis Lacedaemoniorum regis sceleribus dicit ille in c. 84 ab Argivis esse affirmatum ista de causa Cleomenem in furorem actum misere periisse. Contra Lacedaemonios ipsos contendere non a deo quopiam in furorem actum esse regem, sed a Scythis merum bibere didicisse eaque de causa in furorem incidisse. Contra hanc Lacedaemoniorum sententiam pugnans addit Herodotus verba *ἐμοὶ δὲ δοκέει τίσιν ταύτην ὁ Κλεομένης Δημαρήτῳ ἐκτῖσαι.* Quamquam igitur hoc in loco scriptor de causis naturalibus illius morbi, quas Lacedaemonii protulerunt, non tacet, sibi tamen ipsi, ut homines superbos vel impios puniri a diis [VI, 72. 75. 84. 86. 91. 135. 139] demonstret, persuasum habet, ex divina iustitia hanc mortem Cleomenis esse explicandam. Quid? quod tantum abest, ut Herodotus omissa hac divina iustitia res factas ad causas naturales vocaverit, ut malum quoddam ad scelus tantum tentatum pertinere exemplis docuerit [1]). — Saepissime vero res naturales in voluntate et potestate deorum esse collocatas ostendit. Quare ubicunque hae res quasi divinae ei narrandae erant, eas sine ullo iudicio historico, ratus neque quidquam harum rerum esse incertum neque vocari posse in dubium, protulit in medium [II, 142]. Et deos quidem voluntatem atque auctoritatem suam ad res humanas et somniis et oraculis et prodigiis indicare arbitratur.

Atque ut primum de somniis dicam, Herodotus credidit, illa semper fere eventum praedictum habere, et homines, qui secundum illa agerent bene se habere, qui ea neglexissent puniri. Quod factum esse videmus V, 55—56, ubi Hipparchus somnio — *ὄψιν ἐνυπνίου ἐναργεστάτην* — contempto trucidatus esse ab eo traditur. Hac narratione facillime invenimus, quan-

---

1) Quam ad rem spectant I, 159 et VI, 86, quorum hic locus continet narrationem Leotychidis Spartiatae qui tradit ad Glaucum Lacedaemonium celebratum propter iustitiam venisse peregrinum Milesium eique commisisse magnam pecuniam. Hanc longiore intermisso temporis spatio filios illius Milesii a Glauco repetivisse sed non recepisse. Glaucum autem Delphos profectum oraculum consuluisse, num pecuniam interposito iureiurando retineret. Vehementissime vituperatum illum a deo veniam eorum quae dixisset petiisse. At Pythiam respondisse: perinde esse tentare deum atque rem ipsam peragere.

topere Herodotus hac in re dissenserit a Thucydide, qui de Pisistratidarum rebus diligenter et copiose scripsit neque tamen huius somnii fecit mentionem. — Itaque non est mirandum, quod Herodotus harum rerum studiosus narrationibus per se veris haec somnia miscuit eaque ratione totam fidem historicam diremit. Quid autem Herodotus de somniis senserit, egregie cognoscimus ex VII, 8—16.

Iam venio ad oracula, quae summa fide ille amplectitur. Tantum abest, ut illi responsa oraculorum in suspicionem veniant, ut in VIII, 77 confirmet sese negare non posse vera esse oracula huc spectantia neque etiam dicere quidquam audere de universis oraculis vel ab aliis dictum admittere. Summa potius cum verecundia refert Herodotus oracula et plus quam sexagies haec intexuit libris suis. Omnibus ex his locis facile cognoscimus, quantopere ei persuasum sit illa esse vera semperque exitum habere. Quare ubique id egit, ut illa eventum praedictum habuisse demonstraret, qui homines oraculo non paruissent, eos a diis esse punitos [IV, 150 — 151. 156 — 157. 163 — 164], qui vero a diis ad munus vaticinandi perficiendum constituti officio tamen non satisfecissent, eos ira deorum esse affectos VI, 66. Porro summa cum diligentia ac verborum copia describit VIII, 35—39, quomodo oraculum Delphicum se ipsum defenderit ab impetu barbarorum, neque dubitat quin hae mirabiles atque improbabiles res sint verae. Nimirum hoc oraculorum nimio studio permotus criticam rationem neglexit fidemque historicam ex parte his ex locis sustulit. Quid? quod ille II, 18 oraculo Ammonis sententiam suam confirmari ac probari indicat.

Restat ut dicam de prodigiis, quae non minorem gravitatem habere Herodotus scriptis demonstrare sibi proposuit. Sed quamquam multa rerum naturae obstantia ad portenta retulit, multum tamen abfuit, ut ille omnes res naturales ad deorum numina revocaret vel miracula esse crederet. Imo vero hac in re abhorret a sententia vulgari, qua omnes res non ex natura rerum sed ex deorum voluntate exponendas esse statuebatur. Atque hanc discrepantiam, verbis suis se non assentiri traditae narrationi portentosae indicans, plerumque demonstrat. Cuius rei ut exempla quaedam adiungam, mihi sub oculos cadit

locus ille II, 19 ubi cur Nilus intumescat inde a solstitio aestivo, deinde autem expleto centum fere dierum numero decrescat ita ut per totam hiemem constanter parvus sit usque ad sequens solstitium aestivum, accuratius ac longius disserit. Atque is quidem narrat, interroganti ipsi quae essent huius singularis rei causae, ab Aegyptiis non esse datum responsum. Deinde referens quae Graeci hac de re iudicaverint, tres praecipue sententias commemorat, quarum duas cap. 20—21 breviter reicit, tertiam — quae nunc a nostris viris doctis probatur — longiore expositione refutare conatur. Postremo autem in cap. 24 quid ipsi de rebus tam occultis videatur in medium profert. — Similiter agit scriptor in describenda Thessalia. Expositis enim huius terrae finibus [VII, 129] describit fluminum cursus et ostia. Pergit autem, ubi narravit haec flumina per unam convallem angustam exitum habere in mare, verbis: et ipsos quidem Thessalos narrare, Neptunum fecisse convallem illam, per quam effluit Peneus, neque hoc praeter rationem affirmare. Qui enim Neptunum arbitretur movere terram, eum convallem illam inspicientem iure dicere posse Neptunum fecisse. Etenim sibi quidem diductionem illam montium terrae tremore effectam esse videri profitetur. Praeclarius vero huius rei testimonium reddit Herodotus in VII, 189 ubi Athenienses procellam in mari Ionico saevientem ad Boream revocasse narrat. Athenienses enim Boream precibus adiisse, ut classem persicam dirueret. Ad haec adnotat Herodotus: *εἰ μέν νυν διὰ ταῦτα τοῖσι βαρβάροισι ὁρμέουσι ὁ βορῆς ἐπέπεσε, οὐκ ἔχω εἰπεῖν.* Atque cap. 191 tradens hanc tempestatem per tres dies tenuisse, narrat quidem postremo magos victimis caesis die quarto venti vim compescuisse, sed adiungit *ἢ ἄλλως κως αὐτὸς [ἄνεμος] ἐθέλων ἐκόπασε.* — Aliud quoddam huius rei exemplum est V, 86 ubi scriptor narrationi ab Aeginetis traditae adiungit verba *ἐμοὶ μὲν οὐ πιστὰ λέγοντες, ἄλλῳ δὲ δή τεῳ.* — Ergo omnibus in his locis aliisque multis res naturales non coniungit scriptor cum deorum numine, sed per se tractat et explicat. Neque enim veretur, ne naturalem rerum explicationem constituat omnesque has causas ex naturae legibus deducat. Liber aetatis suae superstitione res traditas posuit in iis, quae a doctis physicis tunc observata et inventa erant,

Attamen aliis in locis ille res naturales esse prodigia docet, haec autem prodigia a diis missa demonstrat eventum habuisse eaque interpretari conatur. Cuius sententiae optima testimonia sunt illi loci VI, 27 et IX, 100 [1]), ubi expresse ac plane confirmat: quae res divinitus contingant, eas multis documentis declarari et indicari. Atque ut exempla quaedam talium rerum ab Herodoto pro portentis habitarum afferam, huius rei egregium testimonium est locus ille de prodigiis ante pugnam Salaminiam factis, ubi Herodotus tradito terrae motu VIII, 64 in sequenti capite magna cum voluptate nimiaque dicendi copia portentum quoddam commemorat. Omnibus ex verbis, ex toto sententiarum nexu cognoscitur, tantum abfuisse, ut ille cum in prodigio tum in illa voce Iacchi offenderet, ut toti narrationi tam improbabili fidem habuisse videretur. Eadem cum fide tradit scriptor narrationem I, 175 et VIII, 104: sacerdotem Minervae, quotiescunque Pedaseensibus aliquod incommodum immineat, ingentem emittere barbam.

Videmus igitur Herodotum semper fere veracem et certum auctorem esse nisi res naturales divinae habitae, oracula, somnia ei narranda fuerint. Ut enim concesserim illum has res praetermisso omni iudicio verbose atque copiose commemorasse neque quidquam, nimio studio atque amore harum rerum commotum, e numero harum narrationum in dubium vocare esse ausum, illud tamen mihi persuasum est, Herodotum omissis illis rebus divinis de industria nihil falsi in historiarum libris tradidisse, sed potius dignum esse, qui nomen optimi atque certissimi auctoris sibi vindicet.

---

[1]) VI, 27 *φιλέει δέ κως προσημαίνειν, εὖτ᾽ ἂν μέλλῃ μεγάλα κακα ἢ πόλι ἢ ἔθνεϊ ἔσεσθαι.* — IX, 100 *δῆλα δὲ πολλοῖσι τεκμηρίοισί ἐστι τὰ θεῖα τῶν πρηγμάτων.*

VITA.

Natus sum Hermannus Lämmerhirt Suhlae in oppido Hennebergensi die X. a. Cal. Dec. huius seculi anno LII patre Christiano adhuc vivente, matre Elisabetha e gente Steyer paulo post praematura morte erepta. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis imbutus in scholis Silusiae urbis, in qua pater paulo post me natum domicilium suum collocaverat, Silusiae gymnasium Hennebergense frequentavi, cui tum viri illustrissimi *Hartung*, *Todt*, *Haage*, *Weicker* deinceps praeerant. Vere anni LXXI maturitatis testimonium adeptus me contuli Lipsiam et per quinque semestria scholis interfui virorum doctissimorum *Curtius*, *Drobisch*, *Hermann*, *Hildebrand*, *Lange*, *Lipsius*, *Ritschl*, *Voigt*, *Wenck*, *Zarncke* atque sodalis fui seminarii philologici a Curtio docti. Deinde universitate Lipsiaca relicta adibam Halensem ibique audivi viros illustrissimos *Bernhardy*, *Dümmler*, *Erdmann*, *Keil*, *Kramer*, *Zacher* et sustinui exercitationes seminarii philologici a *Bernhardy* et *Keil* temperatas. Praeterea *Zacher* ut societate theodiscae adessem benigne permisit.

Omnibus quos nominavi viris optime de me meritis quid debeam semper grato animo servabo.

Sententiae controversae.

I. Herod. VI, 98 verba καὶ ἐν χρησμῷ ἦν γεγραμμένον περὶ αὐτῆς ὧδε:

κινήσω καὶ Δῆλον ἀκίνητόν περ ἐοῦσαν.

interpolata non esse mihi persuasum est.

II. Aristoph. Nub. v. 219 cum codicibus legendum est: ὦ Σώκρατες.

III. Catull. carm. 63 v. 43 probo Lachmanni lectionem „trepidante".

IV. Sophocl. Electra v. 43 codicum scripturam ἠνθισμένον defendendam esse censeo.

V. Dialogum de oratoribus Corn. Tacito esse suppositum sat idonea argumenta desunt.

Formis Fischeri et Wittigii, Lipsiae.